



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,
Sev Svpplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac
publicis Ecclesiae de causis in ...**

Coloniae Agrippinae, 1640

Officium sepulturae adulti siue Clerici siue Laici extra locum sepulchri

urn:nbn:de:hbz:466:1-9480

OFFICIUM SEPULTURÆ adulti siue Clerici, siue laici extra locum sepulchri.

CUM corpus defuncti fuerit sepeliendum, sacerdos habitu choralis & stola nigra indutus, procedit de Ecclesia, precedente Cruce & aqua benedicta, Clero, ordinate ad locum ubi iacet corpus, comitante: in domo defuncti, seu ante fores dicat.

Oremus pro fidei defuncto

(de functa)

Deinde legantur Psalmi:

Miserere: vel, De profundis.

Cum collecta sequente. ORATIO.

Suscipe Domine animam famuli tui (famulae tuae) quam de ergastulo huius sæculi vocare dignatus es, & libera eum (eam) de principibus tenebrarum & locis pænarum, vt absolutus (absoluta) omnium vinculo peccatorum quietis ac lucis æternæ beatitudine fruatur, & inter

inter sanctos & electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Christum Dominum nostrum.

Vers. Requiescant in pace. *Resp.* Amen.

Deinde aspergatur fumus aqua benedicta dicendo.

Rore caelesti perfundat animam tuam Deus, Pater † & Filius † & Spiritus † Sanctus, Amen.

Tunc etiam thurificetur.

Odore caelesti pascat animam tuam Deus, Pater † & Filius, † & Spiritus † Sanctus, Amen.

His dictis, per personas, pro cuiusq; loci more ad hoc assumptas, effertur fumus solemnibus orationibus deponendum, subsequentibus vicinis & amicis, ad hoc opus misericordia conuocatis, atque inter ducendum Parochus & alij Officiales, ac ministri Ecclesiae. praetermissis ad rem non pertinentibus colloquijs, cantant pro consuetudine loci Antiph. vel Respons. Media vita &c. Libera me Domine &c. Si longitudo via postulauerit cantentur graui voce seu dicantur alij Psalmi ex officio defunctorum, per clerum alternatiue.

De-

*Depositio corpore ad fores Ecclesia, vel
camiterij dicat rursus sacerdos.*

*Vers. Oremus pro fidei defuncto (vel
defuncta.)*

*Resp. Requiem æternam dona ei Do-
mine, & lux perpetua luceat ei.*

*Deinde legitur Psalmus: Miserere vel:
De profundis.*

*Vers. Requiem æternam dona ei Do-
mine.*

Resp. Et lux perpetua luceat ei.

Antiphona.

*Animam de corpore quam hodie as-
sumpsisti Domine, fac eam gaudere cum
sanctis tuis in gloria.*

*Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie-
eleison.*

Pater noster. Ave Maria.

Vers. Et ne nos inducas in tētationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Vers. A porta inferi.

Resp. Erue Domine animam eius.

Vers. Requiem æternam dona ei Domine.

Resp. Et lux perpetua luceat ei.

Vers. Requiescat in pace.

Resp. Amen.

Vers. Do.

Vers. Domine exaudi Orationem meam,

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum,

Resp. Et cum spiritu tuo.

Pro Episcopo vel sacerdote defuncto.

O R A T I O.

DEus qui inter Apostolicos sacerdo-
tes, famulum tuum. N. Episcopali,
vel sacerdotali dignitate fecisti vigere,
præsta quæsumus, vt eorum quoque per-
petuo aggregetur consortio. Per Do-
minum nostrum.

Pro vno defuncto.

O R A T I O.

INclina Domine aurem tuam ad pre-
ces nostras, quibus misericordiam
tuam supplices deprecamur, vt animam
famuli tui. N. quam de hoc sæculo mi-
grare iussisti, in pacis ac lucis regione
constituas, & sanctorum tuorum iu-
beas esse consortem. Per Dominum no-
strum.

Pro vna defuncta.

O R A T I O.

Quæsumus Domine, pro tua pieta-
te, miserere animæ famulæ tuæ, &
à contagijs mortalitatis exuta, in eter-
næ

næ saluationis partem restitue. Per Dominum nostrum.

Profidelibus defunctis generalis.

O R A T I O.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam semper optauerunt pijs supplicationibus consequantur. Per Dominum.

Vers. Requiescant in pace. Resp. Amen.

Deinde aspergatur & thurificetur vt supra

His peractis feretrum deportatur in Ecclesiam (cantoribus interim prosequentibus *Resp. Subuenite sancti &c.*) quo deposito in medio Ecclesie ita vt defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus altare maius, si verò fuerit sacerdos, vt dictum est, caput sit versus ipsum Altare, & cereis accensis circa corpus, statim nisi quid impediatur, dicatur officium mortuorum: ac dum in officio dicuntur Laudes, sacerdos cum ministris paratur ad celebrandum Missam solemnem pro defunctis, si tempus congruens fuerit.

POST